

fuit. Ille majoribus reverentiam , minoribus comitatem , dubijs consilium , omnibus innocentiam declarabat. In aliena ingenia sic æquus fuit, ut interdum supra æquum. In Academiâ Musas humaniores fermè jacentes erexit , languentes roboravit , & optima quæque instituit. Paulò post totum Plautum , mare illud eruditio- nis , brevi ast perpetuo doctissimoque commentario il- lustratum , publici juris ac usus fecit. Quo opere totius Europæ parietibus nomen suum inscrispit. Vivet itaqne quamdiu nos vivemus : imò vivet quamdiu vigebit & florebit hæc Academiâ. Certè supra omnem invidiæ nu- bem positus jam fruitur felicitate , quam quæsivit. Me- ditabatur quoq; editonem Magni Maronis , cui Scaliger soli inter Poëtas , ut DEo , aram ponit ; sed tantùm me- ditabatur. Delitescit enim ad huc domi suæ Maro. Do-ctrina Taubmani varia fuit in Græcis Latinisque : stylus in utraque prosa & versâ elegans: notitia antiquitatum propè ad miraculum multa. Haud vulgares animæ in poësi eius suavitatem, in Criticis judicium , in Epistolis pu- titatem sunt admirati. Et quid dicam? Suave multis fu- it (non mentior) & ipsum videre & literis adire. Suave est in dissitis locis mel & favos gustare: multò magis vi- tos eruditione primos, videre & compellare.

O Saxonia semper hoc nomine felix, quod excellen- tia ingenia habuisti , fovisti! O felix VVitcberga , vel unico Taubmano! Cuius claritas non apud eos solùm, qui nuuc sunt: sed ad posteros quoque diffundetur, quam diu erit nomen literarum. Ah quæ Principes, imò quot Academiæ illum sibi postularunt! Vbicunque innotuit, se innexuit , manebitque nexus, quam diu erit amoris nexus. Inuenit tamen vir optimus & sanctissimus suos suffenos & Marculos , qui ipsum eminus allatrarunt,